



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio prima. Quid sit adoratio, & cuius virtutis actus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

nihil est aliud quam adorare Regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio patrie. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quae sit ratione humanitatis Christi perfecta omni munere gratiarum, & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio patrie, sed adoratio dulcia. Ita scilicet, quod una & eadem persona Christi adorentur adoratione patrie, propter suam diuinitatem, & adoratione dulcia propter perfectionem humanitatis.

Nec hoc conueniens: quia ipsi Deo Patri debetur honor patrie propter deitatem, & honor dulcia propter dominium, quo gubernat creaturam. Vnde super illud Psalm. 7. Dominus Deus meus in te speravi, dicit Gloss. *. Dominus omnium, per potentiam, cui debetur dulcia: Deus omnium per creationem, cui debetur patrie.

Ad primum ergo dicendum, quod Gloss. * illa non est sic intelligenda, quasi seorsum adoretur caro Christi ab eius diuinitate: hoc enim posset contingere solum hoc modo, si esset alia hypostasis Dei & hominis. Sed quia, ut Damascen. * dicit, si diuina subtilibus * intelligentis quod videtur, ab eo quod intelligitur, in adorabilis est ut creatura, scilicet adoratione patrie. Et tunc sic intellecta, ut separata à Dei Verbo, deberetur sibi adoratio dulcia: non cuiuscunque (puta, quae communiter exhibetur alijs creaturis) sed cuiusdam excellentioris, quam hyperdulia vocant.

Et per hoc etiam patet responsio ad Secundum & Tertium: quia adoratio patrie non exhibetur humanitati Christi ratione sui ipsius, sed ratione diuinitatis, cui vnitur, secundum quam Christus non est minor Patrie.

Quia circa expositionem horum articulorum notari possent, melius in sequentibus disputationibus tradentur.

DISPUTATIO LI.

In tres sectiones distributa.

De adoratione Christo ut Deo debita.

Quoniam Christus, Deus & homo est, antequam adocemus, quae adoratione adorandus sit, oportet nonnulla de diuina, & humana adoratione dicere, seu de illa, quae Deo debetur, & quae hominibus communicari potest. Prius tamen, quid adoratio sit, & quotuplex, quibusve nominibus significari soleat, declarare necesse est.

SECTIO I.

Quid sit adoratio, & cuius virtutis actus sit.

Damas. Adoratio, inquit Damascenus oratione prima de imaginibus propè ab initio est submissionis, & humilationis nota, & oratione 3. Est, inquit, animi ceden-
Aug. tis, submissi atq; humilis significatio, quae descriptio ex vocis significatione, & communi omnium hominum usu sumpta est: significat ergo adoratio actum quo vnus alteri se submittit, vel illum honorat in recognitionem excellentiae eius. Ad quod amplius explicandum oportet has voces distinguere, & eam proprias significationes, scilicet, honorare, reuereri, venerari, colere, laudare, & glorificare, haec enim omnia ad adorationem pertinere possunt, & multum cum illa, & inter se conueniunt, quamuis non nihil etiam differant. Honor ergo, ut ex Aug. colligitur lib. contra sermonem Arianorum, cap. 23. latius patet, quam adoratio. Honorat enim, inquit, omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat, nam honor potest esse ad aequalem iuxta illud ad Romanos. 12. Honore inuicem praueniens, adoratio vero respicit alium, ut excellentem, & superiorem, vnde rectè D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. & 2. inquit honorem esse signum excellentiae, vel virtutis, siue absolute confideretur, siue per comparisonem ad honorantem,

A siue ad alios, habet autem rationem adorationis quod est signum excellentiae per comparisonem ad honorantem, qui scilicet honorat alium tanquam superiorem, cui se submittit. Comparatur ergo haec adoratio per modum generis, & speciei, quia honor vtriusque tantum est quoddam signum bonitatis eius, qui honoratur, ut indicauit Arist. lib. 4. Ethic. cap. 3. & lib. 8. cap. 8. & ibi clarior D. Thom. explicuit lect. 8. adoratio vero includit honorem, & addit submissionem & recognitionem excellentiae eius qui adoratur, respectu adorantis, ut Damasc. dixit. Quocirca cum D. Thom. hic art. 1. adorationem videtur cum honore confundere, loquitur iuxta subiectam materiam, quia adoratio quidam honor est, & eodem modo accipiendum est quod dixit Anast. Episc. Theop. de Leo in VII. Synod. act. 4. adorationem esse, Emphasis honoris, id est symbolum, ut ibidem paulò inferius Tharastius declarauit. Est autem, emphasis, si vim verbi attendamus, non quodcunque signum, sed quod plus significatur, quam aperte dicitur, seu exprimitur, & ita illa voce indicatum videtur, adorationem esse symbolum honoris, quod insignis, & superior excellentiae indicatur. Huc etiam spectat, quod Arist. lib. 2. magnorum moral. cap. 11. dixit. Gloriam rapidam eminentiam assequere. lib. autem 1. Rhetoric. c. 5. dicit. Honorem esse ex estimationis beneficium inditum, quod non videtur ad aequata definitio honoris, sed eiusdem speciei illius notioris, & magis vltimae, quae ad adorationem pertinet, statim vero subdit, Honoratur maximè atque merito, quia beneficia contulerit, deinde qui conferre conuenit: ad hoc autem posterius membrum possunt omnes studiosi, vel in dignitate constituti reuocari, & hoc modo potest illa definitio facillè ad omnes honores adaptari.

Hec autem, quae de honore dicta sunt, eodem fere modo de cultu, & veneratione intelligi possunt, quia haec duae voces, idem fere quod honor significant, videntur, colere enim, venerari & honorare, Latine fere æquivalent, vnde sit, ut eandem habitudinem seu rationem respectu adorationis habeant. Est enim adoratio quaedam venerationis, & quidam cultus, addit verò prædictam submissionem, & recognitionem alterius ut superioris: vnde August. lib. 10. de Ciuit. c. 4. circa fin. cum dixisset, de hominibus dici posse, quod sunt colendi, & venerandi, subdit, Si autem eum multum addiderit, & adorandi.

Eodem fere modo de laude, & gloria loquendum est, laus enim est, quaedam species honoris, ut Arist. 4. Ethic. c. 12. & D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. dicant, Honorari ea, quae per se bona sunt, laudari vero, quae ad aliud sunt utilia, non est tamen intelligendum, laudem solum circa utilia versari, sed ad illa extendi, alioquin enim certum est etiam ea, quae per se maximè bona sunt, maximè posse laudibus extolli, sicut enim & Sanctos, & Deum ipsum laudamus, & ergo laus honor quidam est, & si cum debita submissione, & recognitione fiat, rationem adorationis habet. Gloria verò idem fere est, quod honorifica laus, addit enim effectum quendam, quem laus efficit in alijs, scilicet bonam estimationem de re laudata. Est enim gloria clara cum laude notitia, ut August. eam definit lib. 83. quæ. q. 31. vnde glorificare aliquid nihil aliud est, quam cum ita laudare, ut apud alios bona eius estimatio inde oriatur.

Reuereri denique in propria, & rigorosa significatione vocis, genus quoddam timoris significat, vnde Thom. dixit 2. 2. q. 19. art. 9. & 81. art. 2. ad 1. & 103. art. 1. ad 1. & in 3. d. 9. q. 1. art. 1. ad 3. & ibi Bonavent. artic. 2. q. 1. iam vero translata est haec vox (ut iisdem Sancti docent) ad signandum non solum timorem, sed honorem, seu adorationem, quam inferior reddit superiori in signum excellentiae, seu maiestatis eius, siue quia haec adoratio saepe eo timore procedit, ut quid sit quādo Iacob adorauit Esau, & filij eius fratrem suum Ioseph

Tharalios
Episcop.

Ioseph: siue quia ipsemet timor est testimonium quoddam excellentie alterius, & ex voluntate colendi illum sepe concipitur, vt optime dixit D. Thome citato loco. Vnde Tharalios Constantinopolitani Episcopus, in Epistola ad Constantin. & Irenæ. quæ habetur in hæc V. II. Synodi, adorationem inquit, venerationem & timorem significare. Ex his igitur satis constat prædictarum vocum significatio, eis tamen in sequentibus disputationibus indifferenter vtemur, sicut alij auctores, & præsertim VII. Synodus, & Damasc. eas frequentius vsurpant: quia supposita materia, in qua versamur, in idem fere omnia recidunt.

Adoratio
quid sit, et
sive virtutis
sive actus

Ex hac autem vocis significatione colligitur primo, adorationem esse quendam actum virtutis, quæ ad alterum ordinatur, est enim actus honorandi alterum, se illi tanquam superiori, & excellentiori submittendo. Qui actus, vt per se constat, honestus, & consentaneus rationi esse potest, si circa debitum obiectum versetur: sicut enim vnicuique reddere ius suum studiosum est, ita & vnicuique reddere cultum illi debitum iuxta conditionem suam: & hoc modo nunc de adoratione loquimur. Vnde etiam sit, hunc actum ad iustitiam pertinere, nomine iustitiæ vtendo, prout sub illa comprehenduntur virtutes omnes, quæ ad alterum ordinantur, siue sit ipsa propria iustitia commutatiua, aut distributiua, siue religio, pietas, obsequantia, aut aliæ similes, quæ diuincuntur partes potentiales iustitiæ: cum enim a latorio ad alterum tendat, necesse est, vt ad illud genus virtutis pertineat, cuius munus est operationes circa alterum moderari. Vnde sicut inter prædictas virtutes iustitiæ, quædam versatur circa Deum, quæ dicitur religio, aliæ verò versantur circa homines, quæ variæ sunt, iuxta varias coniunctiones, vel secundum diuersas rationes debiti, quæ inter homines esse possunt, ita & adoratio potest, vel circa Deum versari, qui propter summam excellentiam suam maxime dignus est reuerentia, & honore, & hæc adoratio actus erit religionis, ad quam pertinet cultus Dei & honestas, quæ in illo reperitur: potest etiam versari adoratio circa homines excellentes, & sic ad inferiores aliquas virtutes pertinere, vt magis in sequentibus explicabimus.

Gabr.

Adoratio
actus voluntatis
supponens actum
intellectus.

Secundo colligitur ex dictis, sicut iustitia virtus est ad voluntatem pertinens (vt ex 2.2. nunc suppono) ita & adorationem, actum esse eiusdem potentie, quia virtus, & proprius actus eius in eadem facultate resident. Ad huius autem actus maiorem explicationem aduertendum est, cum versetur circa alterum, cui rationabilem honorem tribuit, necesse est supponere in intellectu bonam existimationem de illius excellentia, cui adoratio exhibenda est. Propter quod quidam existimantur adorationem esse actum intellectus, quam sententiam indicat Gabr. in 3. d. 9. q. vnica in princ. & eandem tribuunt quidam D. Thom. sed nunquam hoc docuit. Neque est verisimile, si formaliter loquamur, illa enim bona existimatio supponitur veræ adorationi: ex illa enim existimatione oritur prudens iudicium distans aliquem esse colendum, seu honorandum, post quod sequitur voluntas honorandi, ergo non potest adoratio in illa intellectuali existimatione consistere, quatenus prædictam voluntatem antecedit. Vnde fieri potest, vt aliquis habeat veram cognitionem de excellentia alterius, quem tamen debito modo nec colat, neque adoret, vt patet etiam respectu Dei, si quis habeat veram illius fidem, & ipsum adorare, & religione colere nolit: non ergo consistit adoratio in illa veluti speculatiua cognitione alienæ excellentiæ, sed (vt ita dicam) in practica recognitione, & voluntaria submissione. Quamquam ergo adoratio supponat actum intellectus, tamen per voluntatem perficitur, & ideo D. Thom. 2.2. q. 84. art. 2. dicit adorationem Dei maxime consistere, in interiori affectu.

Fr. Suarez, Tom. 1.

Ad actum & deuotionem: dixerat autem quæst. 82. art. 1. deuotionem esse actum voluntatis. Sed elegantius hoc dixit Lactant. lib. 4. diu. institut. ca. 4. in hæc verba: Non potest neque religio à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni: quia idem Deus & intelligi debet, quod est sapientia, & honorari, quod est religio, sed sapientia præcedit, religio sequitur.

Lactant.

Observandum verò vltius est, in ipsomet actu adorationis distingui posse actum ipsum à voluntate elicitum, quo aliquis vult alterum adorare, & actum veluti imperatum, quo adoratur, & colitur, voluntas enim colendi aliquam personam non versatur proxime, & immediate circa personam ipsam, sed circa cultum exhibendum tali personæ, qui semper consistit in aliqua actione, qua significatur, & recognoscitur excellentia alterius. Et quamuis ex vtroque actu veluti componatur vnus actus moralis tanquam ex actu interno, & externo, qui totus potest dici integra adoratio moralis, tamen eos inter se distinguendo, vnus est veluti internus alius quasi externus: vnus proprie elicitus, alius potius imperatus: vnus denique est, veluti affectus adorationis, alius quasi effectus, seu adoratio ipsa: hoc enim nomen magis videtur impositum actui externo, quam interno. Propter quod D. Thom. 2.2. quæst. 84. adorationem Dei posuit inter externos actus laudis, quamuis exterior actus rationem adorationis non habeat, nisi vt est sub interiori, seu, vt maneat à prædicto affectu, nam si ab illo non oritur, non est adoratio, sed irritio potius, seu fictio quædam.

D. Thom.

Tercio tandem intelligitur ex dictis, quod sit obiectum adorationis, si enim loquamur de proprio actu elicitu à voluntate & à virtute eius, scilicet à religione, vel alia simili, duplex obiectum habere intelligitur: aliud vocatur obiectum quod, seu materia, circa quam proxime versatur ipsa virtus, & interior actus eius, & huiusmodi est cultus alteri exhibendus. Aliud dicitur obiectum cui, scilicet persona, cui adoratio exhibetur. Ex istis plura sunt in iustitia, & qualibet alia virtute, quæ versatur circa operationes, quæ ad alium referuntur. Et hinc obiter intelligitur ratio, propter quam virtus religionis qua Deum adoramus, non est virtus Theologica, scilicet, quia non versatur circa Deum ipsum vt materiam proximam, sed solum vt obiectum, cui cultum exhibet, circa quem tamen cultum vt in proxima materia versatur. At vero si loquamur de tota adoratione, & cultu voluntario, proximum obiectum illius est persona, seu res adorabilis. In qua duo distinguere oportet, aliud est, res adorata, quæ dici potest materia adorationis, aliud est ratio propter quam adoratur, quæ semper est aliqua excellentia, vel dignitas, propter quam secundum rectam rationem res illa digna est adoratione. Cum enim per adorationis actum aliquis recognoscat alterum vt excellentiorem, & superiorem, cui se submittit, necesse est, vt ex parte personæ adoratæ aliqua dignitas, vel excellentia sit huius adorationis fundamentum: alioquin non poterit esse prudens, & honesta adoratio.

Adoratio
nis obiectum
quod sit.Religio cur
non sit virtus
Theologica.

Vnde obiter etiam intelligitur, quomodo hic actus distinguendus sit ab actu humilitatis, videntur enim esse valde similes, & si solum in specie externa considerentur, posset facile confundi, distinguuntur tamen in proprijs honestatibus, & motibus, quæ semper in actibus virtutum maxime obseruanda sunt. Humilitas enim moderatur affectum honoris, & sub hac ratione interdum exercet exteriores actus submissionis, & alios similes: adoratio verò proprie reddit alteri honorē illi debitum ratione suæ dignitatis, vel excellentiæ: sicut pecuniæ largitio, si fiat solum propter moderandum affectum pecuniarum, est actus liberalitatis, si propter soluendum debitum, est actus iustitiæ.

Actus adorationis, & humilitatis quomodo differant.

Sss

SECTIO